



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

Duces Lotharingiae Godefridum & Gothelonem à S. Henrico constitutos, à sacra militia impeditos fuisse. Cap. XLII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**



genssem locupletavit, cui attribuit maximam partem Comitatus Mersburgensis post mortem Esici Comitis, quod factum scribunt anno  $\infty$ . VII. Quo etiam anno condidit Episcopatum Bambergensem; quem ita munivit, ut præcipuos omnes Germaniæ Principes huius Episcopi vasallos esse voluerit.

Rebus autem per Boëmiam, Poloniam, Vngariam, & Germaniam constitutis, suscepit profectionem cum exercitu in Italiam: ubi Ardoino Marchione, quem Episcopi & nobiles aliquot Italiæ Imperatorem declarant, superato, victor coronam ferream Mediolani, auream Romæ suscepit.

Postea tripartito exercitu Græcos & Sarracenos aggressus est, qui Apuliam & Calabriam adhuc tenebant magna ex parte, etiam aliquam partem eis recens sub Ottone III. Guilielmus Nordmannus ademerat. Troiam urbem Apuliæ, quam Græci munierant, expugnatam evertit. Et Græcis pariter ac Sarracenis tota vltiore Italia depulsis, in Apulia & Calabria Nordmannos collocavit, ut tuerentur eam Italiæ oram contra utrosque.

Obijt Princeps religione maximus anno Christi  $\infty$ . XXIV.

*Duces Lotharingiæ Godefridum & Gothelone*  
*nem à S. Henrico constitutos, à sacra militia*  
*impeditos fuisse.* CAP. XLII.

VIII. &  
IX Brabantia  
Duces  
dono S. Henrici.

**M**ORTVO Otrone sine liberis, Duces Lotharingiæ annis centum magna portione



portione Ducatus sui caruerunt, toto videlicet eo amplissimo districtu quem Lambertus Louaniensis vocauit Comitatum Louanensem & Brabantensem: atque inuito S. Henrico, multorum potentissimorum Principum sanguine, affinitate, atque foederibus subnixus, sibi retinuit iure hæreditario ex parte vxoris suæ Gerbirgæ.

Et quidem Henricus Imperator Godefridum Ducem cum exercitu in fines Brabantum mittit, ad obsidendum castrum Louanium; sed re infecta reuertitur. Verba sunt Sigeberti ad annum ∞ . xii. Et ne ciuilibus bellis Princeps pius regna sua magis inquietaret, voluit Duces Lotharingiæ deinceps auulso comitatu carere.

Propter hanc tamen diuisionem & consecuta foedera, non potuerunt Duces Lotharingiæ, qui sub Henrico fuerunt, cum eo ad sacra bella proficisci; cum domi & in vicinis locis ciuilibus bellis distinerentur.

Inter hos primus est Comes Godefridus *Ex Sigeb.* filius Godefridi Ardennensis; cui S. Henricus anno c i o . v. Comitatum Lotharingiæ dedit. Qui in Frisiam missus, atque eo in bello captus, impetrata Frisonibus delictorum venia, à captiuitate solutus est, & paulo post vita fungitur.

Frater verò Gothelo in Ducatu substituitur anno ∞ . xix. Qui Frederico Duce mortuo, vt potentiùs in Lotharingia principa-



retur, obtinuit etiam ab Imperatore Conrado Mosellanorum Ducatum.

Otto Frisingensis libro v. i. Chronicorum cap. xxxi. vocat eum Gozilone Ducem Belgarum, vbi meminit victorię eius quam ad Barrum habuit contra Odonem Comitem.

*De sacra militia CONRADI II. pro Episcopo Cremonensi.*

C A P. X L I I I.

*Hic Imperator Ducem Gothelonem, à S. Henrico creatum, moriens sustulit. Ex lib. 8. Sigonij.*

**S**ANCTO Henrico in Imperio successit Conradus II. per annos xv. Qui in Italia contra Cremonensium coniurationem non ciuile modò, sed sacrum quoque bellum gessit. Hi anno .xxxv. Landulphum Episcopum consilijs suis aduersarium ex iracundia inuaserunt; eoque vrbe depulso, bona diripuerunt, & custodes, qui cum quibusdam Canonicis ibi erant, venales habuerunt, & fortunis omnibus spoliarunt. Vrbe verò veteri à fundamentis eruta, maiorem alteram, vt Conrado resisterent, condiderunt, ac postero anno Hubaldum Episcopum, qui mortuo Landulpho successerat, multis contumelijs affectum, possessionem inire bonorum Ecclesię voluerunt. Quę mala Conradus audiens, iniquissimè tulit, & Cremonam procedens, coniuratos quoscumque seuerissimis quæstionibus exercuit. Exstat decretum eius, quo propter iniurias Landulpho & Hubaldo Episcopis illatas, ad eorum contumaciam